Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36449
Copyright: Melk, Benediktinerstift

xvii Kl. May

potentia
chritudo supra omnes decores, inenar
rabilis pietas singularis. Quid enim
forcius quid eo pulchrius, quam dulcem
pro dulcissimo ihesu fundere uitam. Pro
silit ex furibundo agmine igneus sig
go et totis uiribus ingens iaculum mo
uens transfixit eius penetralia cordis.
Ipse enim sacerdos ydolorum et dux conuiuate
plebis uelut ex debito prima uulnera
facit. Deinde concurrunt omnes et uul
nera miscentes iram ex saturant. Pro
fluit purpureus sanguis per foramina
utriusque sanguinis lateris. Ille oculis
ac manibus stat orans in celum. Erupit ru
beus amnis diuite uena et extracte
haste septem ingencia uulnera pan
dunt. Ille uinclis solutis extendit manus
in modum crucis et suppliat fusis precibus
pro sua et persecutorum salute ad dominum clamat.
Sic illa sancta anima carcere suo euolat.
Sic nobile corpus protenta cruce terram
occupat. Sic quoque multo sanguine ui
tam fundens, beatis sedibus et superno
tandem perfruitur christo. O sanctum et beatissimum
uirum, cuius uultu angelicus splendor in
corde semper christus erat. O pium et omni
honore dignissimum, qui crucem quam uolun
tate semper et animo, tunc eciam manibus
et toto corpore complexus est. Accurrunt
undique armis dira barbaries et non dum
expleto furore auferunt corpori nobile
caput et separant exanguia membra.
Corpus uero loco dimittentes caput
palo fixerunt et leto clamore sua scelera
laudantes reuersi sunt unusquisque ad pro
prias sedes. Passus est autem sanctus et
gloriosissimus martir christi adalpertus viiii
Kl. aprilis imperante rerum domino ottone tertio
pio et clarissimo cesare, feria sexta sci
licet, ut qua die dominus ihesus christus pro homi
ne eadem die homo ille pateretur, cuius
est misericordia in seculum, honor laus et imperium
in secula seculorum. AMEN. Passio Sancti
Eiusdem Marci Euangeliste

Per tempus quo dispersi erant
apostoli toto orbe terrarum contigit beatissimum marcum ad
egipti regionem diuina uoluntate
pertingere. Unde eum euangelista sancti
canones catholici et apostolici decreue
runt, propter quod primus in tota egyp
ti regione, in libia marmarice et amo
niace et pentapoli predicauit euangelium et ad
uentum domini nostri et saluatoris ihesu christi. Erant
enim cuncti qui in his terris habitabant
in carnali et ydolis seruientes repleti
immundicia, suffocata edentes et diuinacu
la et delubra et symulacra domestica fa
bricantes, execracionibus eciam nefandis
sime ac maleficiis omnibus que contraria
uirtus apud eos uigebat studentes, quam
dominus noster ihesus christus aduentu suo disperdidit
atque destruxit. Cum ergo uenerabilis euangeli
sta marcus cyrenen que est apud penta
polim peruenisset, erant enim illic secundum
genus eiusdem religionis indigene,
his apostolus faciens exordium sermonis di
uini infirmos sanabat, leprosos mundabat,
spiritus mutos et nequissimos per graciam christi
solo sermone pellebat. Plurimi per eum
in deum ihesum christum crediderunt et destruen
tes ydola sua lucosque succidentes bapti
zati sunt in nomine patris et filii et spiritus sancti.
Dehinc eciam reuelatur ei per spiritum sanctum ad
fanum alexandrie pergere et serere ibi bo
num semen diuini sermonis. Igitur
beatissimus euangelista marcus uelut athle
ta fortissimus ad certamen prompta mente
gradiebatur, ualedicensque fratribus ait. Dominus
meus locutus est mihi ut alexandriam proficiscar